

Valahfridus Monacensis – Wilfried Stroh:

Sermo Latinus sermo immortalis

Romam me uocauistis e Bauaria: longum hercle iter, si non Daedalum secutus aeroplano, sed more magis humano curribus ferriuariis utaris. Et quam ob rem uocauistis? Magna debuit esse, grauissima, non parui momenti. Cognoui igitur uos uelle audire *De sermone Latino sermone immortalis*. Haec sane res non est exigua, immo maxime mirabilis: Eamne linguam igitur ut immortalem concelebrem, quae omnium iudicio dudum uita defuncta et conclamata est? Eisne igitur adnumerer encomiorum paradoxorum scriptoribus, qui praeconia muscae aut caluitii aut podagrae faciebant, i.e. qui res laude minime dignas contra opinionem omnium artibus oratoriis in caelum tollere audebant. An id non luce clarius plurimis uidetur hanc linguam tam esse mortuam, ut iam in puluuerem et umbram transierit. Quid? Non in hac ipsa Italia, immo in Latio, unde Latina lingua originem et nomen sibi sumpsit, quam nulla uox auditur Latina! Quamquam Siluius Berlusconi, homo magis notus quam nobilis, nuper gloriatus est se facile cum ipso Iulio Caesare prandere et colloqui posse. At id ne asseclae quidem eius crediderunt.

Nonne igitur praestat pro uiuae encomio cantare naeniam mortuae? „O bellissima et dulcissima linguarum: requiescas in pace! O Musarum alumna disertissima: requiescas in pace! O multis magistris discipulisque olim molestissima: requiescas in pace!“ Aut si idem Latinius maualtis: „Sit tibi terra leuis!“

*Quis quando Latinam linguam occiderit quaeritur*

Sed antequam talem naeniam ad exequias faciendas decantemus, paululum subsistamus oportet. Vno enim loco peccare nobis uidemur. Naeniam quidem cantamus eis, qui nunc ipsum, qui nuperrime mortem obierunt. Contra autem pridem linguam Latinam mortuam esse plurimi clamant, tam uetus cadauer, ut paene iam olere desierit. Sed quando uiuere desiit? Hic aqua haeret, ut aiunt. Nam medici quoque, si quem hominem mortuum declarant, plerumque causam mortis, fere semper diem horamque decessus indicant. In lingua Latina autem mors plurimis uidetur esse certissima, de tempore mortis dissentiunt.

Proinde recensete mecum medicorum illorum uoces ualde inter se ualde discrepantes. Sunt enim qui Concilium Vaticanum Secundum accusent, quod abhinc fere quinquaginta annos e sancta missa eiecerit Latinam linguam, uulgaria idiomatica admiserit. Graue sane damnum, sed alii rem altius repetendam putant. Scholis ei quidem culpam assignant, in quibus iam saeculo undeuicesimo exeunte Latine scribere, nedum disputare desierint. Sed quid dicamus de scholis? Iam praeunte saeculo, i.e. duodeuicesimo, uiri docti paene in omnibus artium disciplinis ab antiquitus tradito sermone Latino ad nouas linguas tam in uniuersitatibus quam in disputationibus scriptis transierunt.

Illane igitur uerissima mors fuit putanda? Immo multo priore tempore, aiunt alii, illa lingua e uiuis decessit. Scilicet nimium elegantiae et eloquentiae studium eam necauisse credunt. In culpa autem esse dicunt eos, qui ubique laudentur uiri disertissimi, qui tempore renascentium litterarum fuerunt, nunc autem uocantur (nomine satis barbaro) *humanistae*. Eos enim cum omnia ad seueras leges Ciceronis et Caesaris reuocauerint, suffocauisse et strangulauisse dicunt liberum illum Latinitatis spiritum, qui medio aeuo uiuus ualuerit. Vnde, qui antea expedite locuti sint homines, tunc uix iam ausos esse Latine muttire.

Sic nunc quidem multi sentiunt. Sed alii etiam acutiores mortem linguae quinque saeculis prius euenisse contendunt. Negant enim eam linguam inter uiuas habendam esse, quae non a matre discatur sermoque patrius appellari possit. Scimus autem inde a tempore Caroli Magni omnes in Europa pueros puellasque primum ad sermonem unius cuiusque gentis proprium adsueuisse, deinde non omnes quidem, sed nonnullos Latinas litteras a magistris et e libris addidicisse. Nonne igitur tunc eam linguam exspirauisse dicamus?

*Num Donatus ueteresque grammatici in culpa sint?*

Sed hic quoque alii nasuti – quis credere possit? – reclamant. Qui negant iam ante illud medium aeuum quod dicitur, id est sera antiquitate, uerissimae uitae participem linguam fuisse, quam iam tunc grammatici e libris uetustis et e consuetudine antiquitus tradita pueros docuerint. Quis enim nescit illo tempore Latinae linguae quasi duo genera extitisse: alteram uiuam et uigentem, mutabilem, legibus repugnantem, in triuiis et plateis celebratam, quam nunc uiri docti *Latinitatem uulgarem* nuncupant; alteram certis legibus ac regulis adstrictam, auctoritati scriptorum magnorum, praesertim Ciceronis, obnoxiam, e libris magis quam ex usu uiuae loquelae sumptam, quae nunc *Latinitas classica* appellatur. Cuius formam ac praecepta nos, qui quidem grammatici sumus, nunc quoque discipulis nostris inculcamus, ueteres illos grammaticos secuti, quos iam D. Augustinus *custodes historiae* i.e. uetustatis uocauit.

Ohe, iam satis est! Quid? Nonne id iure facimus? An errauisse credamus iam illos antecessores nostros, Donatum, Diomedem, Priscianum, qui puerorum aures ad puram et emendatam consuetudinem loquendi erudiuerunt, omne, quod uulgare et plebeium esset, ex auribus oribusque amouerunt. Id enim si falsum et peruersum fuit, continuo illi grammatici nobiles ut pestes Latini sermonis accusandi sunt; illi ipsi sunt, qui nimis ardente uetustatis studio linguam occiderunt. Ergo lege Cornelia quae est de sicariis et ueneficis seuerissime in eos quaeramus? An etiam culleo dignos ut parricidas existimemus?

*Defenduntur grammatici, qui linguam seruauerint immortalem*

Tremescere uos uideo et indignari, dum talia profero. Et iure quidem, nolite timere! Nam si rectissime quaerimus nec falsas aliorum opiniones sectamur, optime illi uiri doctissimi faciebant ipsique Latinitatis genio fideliter obsequebantur. Quid enim factum esset, si Donatus grammaticorum fortasse princeps, quem D. Hieronymus suum doctorem gloriatur, si Donatus, inquam, in scholas suas uulgarem illam Latinitatem admisisset et, ut exemplum afferam, Latine non *cum discipulis suis*, sed *cum discipulos suos* collocutus esset? Nam, ut fortasse nostis, perierat in illo idiomate uulgari ablatius casus, decus illud Latinitatis, inque accusatiuum deprautus est, item neutrum genus, item aduerbia, item alia mille – quorum in linguis Romanicis uestigia nulla aut paucissima supersunt. Haec si iam grammatici illi, *custodes historiae*, recepissent et docuissent, omnis peritura erat Latinitas, unae superfuturae erant linguae Romanicae, illius filiae uel priuignae. Sed illi uiri id ipsum uiderunt uel senserunt, quod nos quoque quaerimus et quod usque adhuc falsa obstinatione mentis negauimus, nempe immortalem esse Latinam linguam, quae immortalitas non in eo posita est quod quam plurimis in usu uersatur aut quod a matre discitur, sed quod suam formam ac speciem immortalem id est perpetuam aeternamque seruat.

Nec tamen id effecerunt grammatici illi ipsi neque eorum studiis id factum est, sed iam multo ante tempora Donati, qui saeculo quarto fuit, scilicet inde ab aetate illa classica dicta, qua Cicero et Vergilius sua opera ediderunt, sermo Latinus mutari desiit et in una

eademque figura permanere coepit. Quod sane non semper sic fuerat. Nam inde ab eo tempore quo (post turrim uidelicet Babyloniam dirutam) Fauni Nymphaeque in Latio Latine loqui coeperunt idque Latinos, postea Romanos, docuerunt, non paruos illa lingua siue progressus fecit siue mutationes subiit. Longus esse nolo in re manifesta. Comparete, si uultis, non XII tabulas, fortasse nimis uenustas, sed comoediam aliquam Plautinam cum epistula Ciceronis, quae uno saeculo postea scripta est: utrobique inuenietis sermonem urbanum et lepidum, multis locis tamen diuersum: pro *faxit* Plautino Cicero semper *faciat*, pro *possiet* dicit *possit*, pro indicatiuo saepissime ponit coniunctiuum. Comparete contra epistulam aliquam Senecae uno saeculo post Ciceronem exaratam aut librum Symmachi aut Hieronymi, qui saeculo quarto fuerunt: eadem uigent illic quoque grammaticae leges atque eae quibus Cicero paruuit. Quin etiam nos, cum Latine scribere uel dicere conamur, eis obtemperamus, tamquam de caelo dictatae sint. Non igitur hoc dubium est: Eo fere tempore, quo Christus natus est, Latina lingua aut mortem aliquam, si uultis, aut, quod dicere praestat, immortalitatem adeptam est. Nam nisi hoc modo uiuere destitisset, perpetuam uitam sortita non esset. Frustra igitur antea quasi mente capti quaesiimus, quo tempore sermo Latinus mortem obisset, et omnia saecula inde a nostro usque ad ipsam antiquitatem redeuntes excussimus: Eius mortem inuestigabamus, quae morte dudum non iam tenetur, cum in eam non ualeat lex illa, quam Aristoteles siue Apuleius statuerunt, scilicet *terrena omnia mutationes et conuersiones, postremo interitus habere*: Vna lingua Latina exempta hac lege mutationis et mortalitatis perpetuum decus suum seruat.

#### *Cur lingua Latina mutari desierit*

Sed cur aut quomodo id factum est? Credamusne aut scriptores aut grammaticos quosdam coniurauisse inter se eo proposito, ut inde a certo tempore leges grammaticae inuiolatae semperque eadem ualere deberent? Aliter, si diligentius quaerimus, se res habet. Inde a primo post Chr. natum saeculo, quae dicitur aetas Caesarea aut imperatoria, summam admirationem atque adeo adorationem fuisse Ciceronis et Vergilii eorumque scriptorum qui circum illos floruerunt comperimus. Nec fere quisquam tum dubitauit, quin post aetatem illam classicam cum poesis tum eloquentia in peius declinauisset. Illos igitur auctores sequi, illos imitari optimo cuique propositum erat. Non igitur mirum est, quod (non aliquo consilio, sed tacito occultoque quodam sensu) inter se omnes doctiores consenserunt, ut lingua illa, qua Ciceronis *Philippicae* aut diuina Vergili *Aeneis* scriptae essent, ipsa quoque immutabilis esse inque eo statu, quem semel adeptam esset, permanere deberet.

Ergo, nisi fallor, tunc ipse genius linguae Latinae subsistere eam iussit: *Remane qualis es, mane! Pulchrior certe non fies*. Ea autem obsecuta est, in statu suo constitit, formam suam non iam perdidit. In quo similis uidetur dis immortalibus paganorum, qui non ideo morte carere putantur, quod sua natura semper fuerint (ut Deus Christianorum mundi opifex aut animae Platonis, quae per se sine motu esse non queunt, aut atomi Epicuri inde ab aeterno tempore per inane cadentes), sed quod semel nati et exorti fere continuo suam quisque certam formam retinent eaque gloriantur. Spectate Apollinem Deli natum, semper adulescentem, semper capillis intonsis ornatum! Spectate Venerem, quae incredibili quadam uenustate fulgens ex Oceani spumis sese extulit semperque talis adoratur! Quin Minerua, quod uix credi potest, e capite Iouis patris (Vulcano obstetricis officium explente) clipeata et galeata, qua specie semper mansura erat, exsiluisse traditur. Sunt igitur quaedam, quae nascuntur quidem, non tamen pereunt. Quibus secundum theologos catholicos adnumeremus licet etiam animam humanam, quae a deo

creata non tamen peritura, sed caelo destinata est. Sed nunc ad magis terrestria redeamus!

Nam utcumque de causis iudicatur, de immutabilitate Latinae linguae satis constat. Tantummodo copia et quasi thesaurus uerborum decursu saeculorum neologismis necessariis auctus et ornatus est – nam et religio Christiana et multa artificum inuenta id secum ferebant –, ipsa linguae uerissima indoles ac natura his additamentis non tangitur.

*De Carolo Magno e grammaticis ueteribus Latinam institutionem renouante*

Iure igitur ac merito fecerunt ueteres illi grammatici, qui non solum commentariis scriptores classicos enarrabant, sed etiam plenas institutiones grammaticas conficiebant, unde posterius expeditius Latine discerent. Quae scripta per aliquantum temporis in obscuro iacebant, cum imperium Romanum occidentale Gotis siue Germanis incurrentibus ac grassantibus dissolueretur, non quo barbari illi litteris bonis omnino infesti essent, sed quod tum omnis grammaticorum disciplina propter tumultum temporum lapsa est et concidit. Sed ex illis fontibus hausit Carolus Magnus, tam imperii quam scholarum administratione egregius. Is enim, cum uidisset, quam utilis ac necessaria esset imperio ecclesiaeque administrandis illa lingua, cuius tamen uestigia supererant, magistris ex Anglia arcessitis nouisque scholis conditis multos imperii sui ciues, praesertim clericos, Latine ad auctoritatem ueterum grammaticorum instituebat. Quam tunc continuo effloruerunt litterae Latinae! Quin Augustam aetatem nouam redisse multi poetae oratoresque illo tempore gaudebant. Vt Angilbertus, inter primos Caroli ministros, quem propter eloquentiam *Homerum* dicebant, has Caroli laudes politis hexametris cecinit:

*Quis poterit tanti praeconia promere regis?  
Quisue putat sermone rudi se principis acta  
posse referre, senes cum uincant omnia uates?*

Inferiorem igitur Angilbertus se sentit ueteribus poetis magis expolitis, quos solos encomio Caroli pares futuros fuisse existimat. Tamen imperatoris gloriam et uirtutem amplificat:

*Exsuperatque meum ingenium iustissimus actis  
rex Carolus, caput orbis, amor populique decusque,  
Europae uenerandus apex, pater optimus, heros,  
Augustus [...].*

Nec negare uolo, quod iam supra dixi, Latinum sermonem tunc non ita fuisse rediuiuum, ut domi a matribus disceretur, sed semper e libris scholisque petatum esse. At id ipsum, quod damnum quibusdam uideri possit, ex alia parte maximum emolumentum fuit. Sic enim facilius fieri potuit, ut linguae puritas sanctitasque seruaretur neque, ut olim in linguis Romanicis factum est, per uarias gentes regionesque dissiparetur: Vna semper fuerat Latinitas, una remansit, ut deam immortalem decebat.

*De pura pronuntiatione non restituta et de poesi rhythmica*

Alia res multo magis nocuit, diuersitas pronuntiationis. De re dico, quae a uiris doctis, quantum scio, parum explorata est. Sed tamen, quia alicuius momenti uidetur, quae mihi cognita sunt, proferre aut adumbrare uolo. Scimus certe iam in uulgari illa Latinitate, quam uocauimus, multis locis declinatum esse a pura litterarum syllabarumque enuntiatione, quae Ciceronis Vergilique tempore obtinebat: nam ibi diphthongi per unam uocalem proferebantur (ut esset [hedus] pro [haedus]), mutae adspiratae in

consonantes spirantes transibant (ut [dafne] sonaret pro [dap<sup>h</sup>ne]), uocalium dimensiones propter accentus uim peribant (ut diceretur [Vēnus] pro [Věnus], [ǫrator] pro [ōrator]), nec synaliphae iam obseruabantur. Quae mutatio interdum etiam in uersibus manifesta erat. Velut Commodianus iam fere saeculo tertio hunc hexametrum suis *Instructionibus* praefixit:

*Prima praefatio nostra uiam // erranti demonstrat*

Hic quattuor locis contra leges ueteres pronuntiationis peccatur: *ae* breuis est pro longa, *uiam* plene enuntiat sine synalipha, in *erranti* ultima uocalis contrahitur, in *demonstrat* prima. Quae uitia fere omnia praeualenti accentui adscribenda sunt. Paulo aliter, sed tamen simili more D. Augustinus aliquanto post uersus scripsit, qui nullum metrum affectarent, cum omnes syllabae pro aequalibus haberentur, ut non pondere distinctae essent, sed tantum numerus in eis obseruaretur:

*Abundant(i)a peccatorum solet fratres perturbare,  
propter hoc dominus noster uoluit nos admonere.*

Videtur hic in uno quoque uersu bis octonas syllabas sine respectu quantitatis inter se subsequi, ea una lege, ut in fine cuiusque coli syllaba paenultima acuatur (*peccatorum, perturbare* ...). Quod tamen carmen non recitandum, sed a populo minus litterato ad modos musicos cantandum erat.

Tales igitur aliosque uersus similes, qui postea *rhythmicis* uocabantur, a *metricis* distinguendi, componebant tum quidam poetae populares ad aurium iudicium, non ad artis grammaticae leges. Nam grammatici ueteres, quantum uidemus, huic generi nouatae pronuntiationis siue in oratione prosa siue in carminibus ualde resistebant, *custodes* uidelicet *historiae*. Vnde necesse est credamus etiam illo serae antiquitatis tempore pueros arte grammatica doctos eorumque parentes non peius instructos illam pronuntiationem inter se in colloquiis adhibuisse, quae quattuor aut quinque saeculis antea in usu fuerat.

Sed omnis haec ars enuntiandi una cum institutione grammatica periit eis saeculis obscuris ac turbidis, quae dissolutum imperium Romanum secuta sunt. Tum, ut iam dixi, natae sunt Romanicae linguae, tunc ei, qui Latine loquebantur, quod in ecclesia certe necesse erat, pro consuetudine quisque suae gentis suaeque linguae natiuae etiam sermonem Romanorum transformabat, ut is aliter in Germania, aliter in Italia aut Hispania sonaret. Ei autem qui Carolo Magno auctore scholas Latinas renouabant, quamquam in ceteris omnibus ueterum grammaticorum praeceptis oboediebant, hac una in re id facere non poterant aut non uolebant. Nemo, quod equidem sciam, conatus est ex illis ueterum scriptis ueram ac legitimam pronuntiationem sermonis Latini restituere et reformare. Nempe tam inueteratus erat ille nouus mos, per regiones aliquantum diuersus, Latine pronuntiandi, ut eum extirpare nemo iam auderet. Hoc unum damnum, cum dolore dico, accepit Latinitas dea illa immortalis, quam uenerandam et semper eadem forma celebrandam esse dixi.

Qui dolor tamen aliquantum minuitur ac leuatur, cum uidemus, quam iucundos lepidosque flores poesis illa rhythmica, quae tamen e falsa pronuntiatione orta erat, medio aeuo decursu saeculorum tulerit. Coeperunt enim poetae et accentus uerborum diligentius obseruare et artem homoeoteleutorum addere, unde nati sunt uersus suauissimi, ut illa ubique nota sequentia, quae a multis Iacopo Tudertino Franciscano tribuitur:

*Stabat mater dolorosa  
iuxta crucem lacrimosa,*

*dum pendebat filius,  
cuius animam gementem  
contristatam et dolentem  
pertransiuit gladius.*

Quam haec auribus nostris blandiuntur, quam dulciter influunt sensibus! Quamquam a uerissima Latinitate aliquantum absunt. Audiatur etiam illud, quod ab Archipoeta Germano minus religiose cantatur:

*Meum est propositum in taberna mori,  
ut sint uina proxima morientis ori.  
Tunc cantabunt laetius angelorum chori:  
Sit Deus propitius huic potatori.*

Videtis quam hic ipsa homoeoteleuta bonae pronuntiationi repugnent: nam in *mori* et *chori* uocalis o corripienda erat, in *ori* et *potatori* produci debebat. Tamen nemo est qui lepore ac festiuitate huius carminis non tangatur. Accipiat igitur Latina lingua immortalis saltem hoc solum dedecus, ut una parte obnoxia sit temporis damnis!

*De bona pronuntiatione nunc in uitam reuocanda*

Nec tamen hac pia sententia acquiescendum puto, immo omnibus uiribus enitendum, ut e tenebris prauae consuetudinis ad lucem uerae et classicae enuntiationis perueniamus uel redeamus. Cuius artis initium posuit Desiderius Erasmus immortalis suo *De recta Latini Graecique sermonis Dialogo* a. 1528 edito, qui iam de plerisque quaestionibus recte iudicauit, ipse tamen, quae cognouerat, ore et lingua sua exsequi contra morem saeculi non audebat. Hunc secuti sunt uiri uix minus docti, ut Iustus Lipsius. Postea fere per duo saecula haec studia paene iacebant, donec saeculo undeuicesimo Germani philologi siue grammatici ea resuscitauerunt gymnasiisque etiam inferre conati sunt. Quorum opera factum est, ut nunc in maiore parte scholarum Germanicarum pro [tsäsar] audiatur [k<sup>h</sup>äsar], raro tamen diphthongice [k<sup>h</sup>aesar], nusquam, nisi forte in Bauaria aut Austria, sine aspiratione [käsar].

Tantumne operae igitur his nugis pronuntiandi tribuamus? Me iudice nugae non sunt. Bonae pronuntiationi studere, id non iubet solum pietas ac ueneratio, quae Latinitati deae nostrae debetur et scriptoribus illis optimis, qui summopere euphoniae, suauitatis, numerositati orationis studebant – quae si parui facimus, ipsos auctores contemnimus –, sed etiam ipsa utilitas in commercio eorum, qui nunc quoque interdum e gentibus diuersis conueniunt, ut inter se Latine colloquantur. Memini me abhinc quadraginta annos in conuentu Latino audiuisse mulierem doctissimam Francogallam, quae more suo usitato pronuntiandi, accentibus neglectis, scholam Latinam explicaret. Ne unum quidem uerbum intellegere potui. Tunc equidem uidi et sensi, quam necessarium esset omnibus, qui Latine loquerentur, uni atque eidem pronuntiationi studere, quae non alia potest esse atque illa classica, quam etiam grammatici ueteres Latini commendant. Quae res sane his proximis annis uel decenniis aliquos fecit progressus. Fere uni uos Itali e magna parte huic mori classicae pronuntiandi iam inter populos diuulgato pertinaciter repugnatis. Quod tamen uobis unis aliquatenus ignoscendum puto. Nam in ore uestro inest dulcedo quaedam mollisque suauitas, quae ipsa uitia in uirtutes, peccata in merita uertere uidetur. Tamen uos quoque moneo, ut communem morem gentium aliquando sequamini.

*Qualis medio aeuo posteriore Latina lingua fuerit*

Sed redeamus ad tempora mediaeualia. Atque eis omne fere litterarum genus a scriptoribus doctis tractabatur, ut iniuria quidam de medio aevo quasi toto barbaro et obscuro aut de Latinitate tum uigente culinaria somnient. Id tamen non sine aliquo iure postea ab humanistis qui dicuntur eis obiciebatur, qui exeunte medio aevo, id est inde a decimo tertio saeculo, in uniuersitatibus theologiae et philosophiae scholasticae operam dabant. Quorum genus dicendi tam siccum fuit et aridum, tam ab omni elegantia sermonis remotum, ut nunc quoque a teneris mollibusque auribus fastidiatur. Nec tamen eo a Latinitate recesserunt, quod, ut olim in idiomate illo uulgari factum erat, leges morphologiae et syntaxis uiolarent: eis enim scholastici quoque satis obtemperabant, deerat autem eloquentia id est ars copiose et suauiter dicendi. Rebus tantummodo intenti erant, uerba spernebant. Vt cum in *Summa Logicae* Guilelmi de Occam initio legimus:

*Est autem sciendum, quod, sicut [...] triplex est oratio, scilicet scripta, prolata et concepta, tantum habens esse in intellectu, sic triplex est terminus, scilicet scriptus, prolatus et conceptus.*

Illud *quod* certe repugnat consuetudini Ciceronis, qui post *sciendum* infinitiuum posuisset, inuenitur tamen, etsi rarissime, iam inde a Petronio et Quintiliano; grauius autem est, quod *esse* hic pro substantiuo habeatur. Vult enim dicere Guilelmus eam esse orationem conceptam, quae tantum in intellectu neque extra sit. Quod sane breuiter ac dilucide declarauit, eleganter minime. Quare non miramur, quod eodem saeculo Dante Alighieri poeta nobilissimus in libris *De uulgari eloquentia* scriptis duo esse omnino genera linguarum statuit, alterum naturalium seu uulgarium, quo homines in communi consuetudine uterentur, alterum artificiale, quod uiri docti excogitauissent, ut inter se communicarent. Quam uocat *grammaticam*, denotat autem sermonem Latinum. Quasi iam Cicero cum Tullia sua non Latine, sed Italice locutus sit. Praestare autem Dante putat uulgarem linguam ut nobiliorem, carminibus unice aptam. Ea igitur usus est ad *Comoediam Diuinam* illam, non Latina, quae quasi scholas logicas redolere uideretur.

Fuerunt sane etiam tunc nonnulli, qui aliquod cum Musis commercium haberent. Vt ille ipse Thomas Aquinas scholasticae disciplinae princeps scripsit etiam canorum illum hymnum, qui nunc quoque cantatur:

*Pange, lingua, gloriosi corporis mysterium  
sanguinisque pretiosi, quem in mundi pretium  
fructus uentris generosi rex effudit gentium.*

Versus quadrati siue septenarii trochaici sunt, quos theologus uates scite in rhythmos transformauit.

#### *De renascentium litterarum aetate humanistisque iniuria accusatis*

Ergo ne tunc quidem immortalis illa lingua Latina, quamquam aegrius sese sustinebat, tota in puluere iacebat. Quae sane ornata et aucta est ab eis, qui inde a saeculo XIV Petrarca duce denuo optimis artibus et eloquentiae puriori studebant. Quod tempus, ut omnes norunt, a renatis litteris nomen accepit. Nempe Petrarca se iam puerum captum dixit Ciceronis scriptis, non propter sapientiam, quam nondum intellexisset, sed quia arrisisset *uerborum dulcedo quaedam et sonoritas*. Optime dictum! Nec quisquam magis proprie id expressit, quod nos quoque in illius scriptoris optimi uerbis, si modo aures habemus, tenet. Ergo inde a Petrarca multi uiri docti non solum grammaticae scribere studebant, sed etiam Latine et, si fieri posset, Ciceroniane. Latina autem lingua tanto in honore erat, quanto numquam fere antea. Tunc primum eam habere aliquod numen diuinum senserunt, ut Laurentius Valla saeculo post Petrarcam haec scriberet:

Latinum sermonem *gentes nationesque [...] omni nectare suauiore, omni serico splendidior, omni auro gemmaque pretiosior putauerunt et quasi deum quendam e coelo demissum apud se retinuerunt*. Magnificentius, puto, de Romanorum lingua nemo iudicauit.

Iniuria autem nunc plurimi accusant hos *humanistas* qui uocantur, quod Latinam linguam interemissent. Quorum accusatorum cantilenam initio iam rettuli. Asseuerant enim medio aeuo Latinum sermonem tam uiuum fuisse quam unum ex idiomatibus, quae Dante, si meministis, uulgaria appellauit, dico Francogallicum, Germanicum et cetera. Eos humanistas autem, cum omnia ad Ciceronis classicorumque exemplarium normam reuocauissent, eo spiritu uitali extincto linguam necauisse. Quod fere e nulla parte uerum est. Etiam Latinitas mediaeualis (una poesi rhythmica excepta) semper in eodem statu remansit, quem ueteres grammatici praescripserant. (Quare iam Dante sermoni Latino adscripsit *inalterabilem locutionis identitatem diuersis temporibus atque locis*). Quodsi medio aeuo etiam quaedam paulo uitiosiora admittebantur, ut illud *sciendum quod*, non id alicui linguae progressionis tribuendum est, sed potius incuriae uel negligentiae cuidam. Alioquin per leges grammaticae quodam tempore necesse fuisset, ut uerba dicendi et sciendi cum particula *quod* coniungerentur; quod numquam factum est, sed semper licebat infinitiuum adhibere, idque optimus quisque faciebat. Id unum concedamus oportet artem Latine scribendi et dicendi per Petrarcae Vallaeque operam non faciliorem factam esse. Nempe *ardua molimur, sed nulla, nisi ardua, uirtus*.

*Quando primum, num lingua Latina pro mortua habenda sit, quaesierint*

Sed iam tum, cum humanistae illi operose e libris ueterum Latinissima quaeque expiscari uidebantur, saec. XVI extiterunt quidam, qui, ut nunc multi, Latinae linguae ut mortuae detrahebant. Quod antea, quod sciam, nemini in mentem uenerat. Eis tamen diserte respondit (in oratione a. 1583 habita) Marcus Antonius Muretus poeta Francogallus et orator egregius. Ergo eum, quia primus de hac re dixisse uidetur, ad uerbum laudare iuuat:

*Aiunt Graecam Latinamque linguam iam pridem mortuas esse. Ego uero eas nunc demum non tantum uiuere et uigere contendo, sed, si in translatione [i.e. dictione metaphorica] perstandum est, firma ualitudine uti, postquam esse in potestate plebis desierunt. Quamdiu enim populari imperio regebantur [...], assidue agitabantur, fluctuabant, nihil habebant certum, nihil stabile, unum saeculum eodem uultu durare non poterant. Nunc, ex quo ad optimates, ut ita dicam, redactae sunt et certis a scriptoribus petuntur, certis regulis ac praeceptionibus continentur, multis iam saeculis fixae atque immutabiles permanent [...]: non uiuunt tantum, sed immortalitatem quodammodo et immutabilitatem adeptae sunt."*

Quam uere et sapienter hoc dictum – quam arroganter tamen et superbe! Eripit plebi dulcissimam linguam, quam optimatibus, ut ait, id est eruditissimo cuique reseruat.

Simili uia ac ratione grammaticus quidam Hispanus, per duo saecula celeberrimus, Franciscus Sanctius, in sua *Minerua* (iam a. 1587 edita) linguam Latinam non solum ex usu plebeio, sed ex omni consuetudine loquendi eximere uoluerat, non quo illam sperneret, sed quod ut deam sanctissimam nimis uenerabatur. Loquendo enim fieri adseuerauit, ut male loqueremur: non nisi scribendo nos peruenire posse ad usum rectissimum linguae. Nam, *qui Latine garriunt*, inquit, *corrumpunt ipsam latinitatem*. Quod ex parte uerum esse nemo negauerit, qui nunc quoque nonnullos, qui se uoce uiua optime *latinizare* opinantur, auscultare cogitur. Neque improbo totum illud studium



puritatis et elegantiae, sed hic quoque seruandus est ille *modus in rebus*, quem iam Cleobulus inter Septem Sapientes habitus commendauit. Multo certe humanius Ioannes Amos Comenius Bohemus lumen paedagogorum siue magistrorum de institutione Latina iudicauit (a. 1648): *Discamus primo Latine balbutire, tum loqui; tandem Ciceronem, ut nobis dicendi quoque commonstret artificia, adibimus*. Sic ipsa natura poscit, ut per gradus ad eloquentiam Latinam ascendamus, quam Sanctius paene contempsit. Sic enim ille statuit: *Non discimus Hebraea uel Graeca, ut loquamur, sed ut docti efficiamur. Cur igitur in Latinis non idem efficiemus?* Id est, nisi fallor: Curemus pro uiribus, ut ea lingua in puluere librorum quidem immortalis sit, moriatur autem in uita hominum nec iam, ut Ennius uoluit, *uolitet uiua per ora uirum*.

#### *De usu Latinae linguae deminuto, in scholis restituto*

Praelusit hic Sanctius quodammodo eis quae potea (quamquam aliis de causis) futura erant. Nam usus Latinae linguae saeculo XVIII, ut iam dixi, ualde diminutus est, primum in poeticis, tum in rebus publicis, denique in artibus et disciplinis. Quam nonnulli, ut iam dixi, uerissimam mortem linguae putauerunt. Sed falluntur, non solum quod etiam posteriora saecula egregios poetas, oratores, scriptores tulerunt, sed praesertim quod uim Latinae linguae non uident. Nam plerique putant propter inopiam siue imbecillitatem quandam ex ipsa senectute ortam id factum esse: „Quomodo enim, aiunt, illa lingua Ciceronis et Caesaris par esse potuit omnibus nouis inuentis, quae artium praesertim physicarum progressio his proximis tulit saeculis? Num Seneca ille in *Naturalibus quaestionibus* de microscopiis, ne dicam de atomorum displosione cogitauit? Iure igitur ex usu recessit lingua antiqua tempore recenti.“ Sed id minime uerum esse uel ea opera demonstrant, quae a nobilissimis physicis Latine conscripta sunt. Legite, ut unum afferam, Galuanium, qui de electricitate in ranarum membris luculentissime et iucundissime scripsit. Equidem ego cum tot libros Latinos aetate recenti conscriptos legerem, neminem umquam me inuenisse credo, qui quereretur se aliquid propter egestatem linguae Latine dicere non posse. Nam de neologismis semper necessariis nunc non disputamus.

Alia igitur causa quaerenda est. Eo ipso saeculo, quo machinae uaporifera et Guillotiniana repertae sunt, ualde augebatur amor ille eximius patriae, qui iam antea sepe coeperat, tum autem ad summum fastigium ascendit. Maluerunt enim uiri docti sua sensa inuenta cogitata cum suis ciuibus, etiam minus eruditis, communicare, quam in aliqua re publica litteraria Latina, ut prius solebant, lectores sibi quaerere. Non igitur uitio linguae id damnum euenit, sed potius e nimio quodam sui populi amore. Lingua ipsa autem, ut immortalem decuit inuiolata remansit. Cuius maiestas suo decore constat neque e cultorum numero pendet.

Quo magis autem Latinae linguae usus in uita communi decrescebat, eo magis scholarum magistri eum in gymnasiis retinere cupiebant. Nec pessimo euentu. Saeculo XIX non solum in Germania, sed in totius Europae Americae Russiae scholis studia Latina adeo florebant, ut multi discipuli non scriberent solum Latine, sed etiam emendate loquerentur, nonnulli carmina quoque pangerent. Sed propter illud quod dixi nimium patriae studium et quasdam commercii pecuniaeque angustias haec studia paulatim ad solam scriptorum antiquorum lectionem redigebantur. Etiam grammatici ipsi, qui nunc philologi classici dicuntur, Latine scribere e magna parte desierunt. Extiterunt nihilominus, qui contra saeculi mores Latinam linguam ut immortalem in pristinum honorem reducere conarentur. Nam Carolo Henrico Ulrichs Germano duce et praecone, qui inde ab a. 1889 *Alaudarum* nomine libellos Latinos ediderat, non pauca talia periodica in Europa publicabantur, quorum pars etiam nunc exstat, ut in Germania

*Vox Latina*, nuper etiam *Lingua uiua*. Subsecutae sunt sodalitates multae Latine loquentium, quae nunc in tela interretiali facile reperiuntur. Neque ignoro nonnullas esse in orbe terrarum scholas academias uniuersitates, in quibus Latina lingua doceatur et discatur. Et quoniam Romae uersamur, iuuat laudare *Viuarium Nouum*, ubi Latine etiam ad antiquos numeros cantatur.

*De Latina lingua immortalis religiose colenda*

Ne credamus tamen ab his conatibus nostris, qui plurimi sunt et laudabiles, immortalitatem Latinae linguae pendere. Di melius! Dea illa est, immortalitatem suam uindicat et obtinet, etiam si cultores deficiant. Nostrum est tamen eam rite ac recte uenerari, non ture atque aris, sed uerbis ac uersibus eisque quam cultissimis. Nihil autem tam indignatur hoc numen quam eos superbos, qui se magnifice fecisse credunt, cum aliquid, quod eis Latinum uideatur, effutiunt nullo elegantiae et eloquentiae respectu. Quod eheu ubique fieri uidemus nullo notante, nullo castigante. Etiam in encyclica Papali nouissima, quae (a. 2013 edita) *Lumen fidei* inscripta est, insunt quae legisse nolis:

*Fidei coniunctionem cum ueritate revocare hodie magis quam umquam est necessarium, utique propter ueritatis discrimen in quo uersamur. In hodierno cultu saepenumero mos est ueritatem suscipiendi technologiae tantum: solummodo id uerum est quod aedificare homo atque sua scientia metiri ualet [...].*

Hic, ut olim in scriptis scholasticis, nihil contra Donatum et grammaticam peccatur; neque ut magister scholasticus nimis morosus monere uolo uerba *hodie* et *hodiernus* semper ad ea pertinere, quae hoc ipso die, non quae nostro tempore fiant, neque impugnabo *technologiam*, quae foeda, sed paene necessaria est (nisi uelis recurrere ad *fabrorum nouissimas artes*). Immo obscuritas quaedam mihi displicet, quae a Latinitate aliena esse debet. Quid enim est illud *reuocare*? Non nisi e uersione Anglica intellegis hic non de ipsa coniunctione *fidei cum ueritate* reuocanda dici, sed de cognitione, qua fidem cum ueritate semper coniungendam esse intellegimus. Obscurius etiam *ueritatis discrimen* est, quod tamen e sequentibus aliquatenus illustratur. Est enim non tam discrimen quam ignoratio aut parum accurata ueritatis cognitio, qua nunc plerique laborare dicuntur. *Hodiernus cultus* quid sit, frustra quaeres, nisi Anglica adhibueris. Tum in proximis sensum uerborum singulorum quidem intellegimus (quamquam infinitium *esse* pro indicatiuo *est* exspectes), res ipsa tamen in obscuritate sepulta est. Idne solum homines uerum credere quod ipsi aedificare possint? Minime, si ueritatem una cum Thoma Aquinate uocamus *adaequationem rei et intellectus*. Nam sic etiam antea hoc uerbo auctor usus est; nunc autem uerum dicere uidetur id, quod sit, i.e. quod inter res ueras habendum sit, nec solum cogitetur aut somnietur. Sed haec habent tamen aliquam speciem Latinitatis. Postea autem melior illa maiorque ueritas a uulgo nunc contempta sic declaratur:

*Magna ueritas, ueritas nempe quae personalem socialemque uitam explicat, suspiciose cernitur. Nonne haec fuit – interrogatur – ueritas quam magni totalitarismi praeterito saeculo sibi vindicarunt, ueritas quidem quae propriam imponebat universalem opinionem ut concreta singuli historia contereretur?*

Ista qui Latina putat, eum dea linguae e suo sacrario Romano non sine dolore secludet. Nec docent nec delectant nec mouent, sed cuiusuis intellectum frustrantur.

Vnde igitur talia uitia in encyclica Papae optimi? Quia haec omnia, puto, ex interpretum officina fluxerunt, qui exempli alicuius Italici uel Anglici uerbis fideliter atque adeo anxie adhaeserunt, ut non solum elegantiae, sed etiam perspicuitati nocerent. Vellem

aliquis Latinae linguae peritus Papae non illitterato iam in ipso scripto concipiendo et meditando adfuisset, ut omnes res non eloquentiae tantum, sed etiam ipsius ueritatis causa aptissimis et luculentissimis uerbis dicerentur. Quod sine dubio etiam eis uersionibus prodesset, quae ab exemplo Latino effluentia sermonibus uernaculis postea per orbem diuulgarentur.

Seruiamus Latinitati deamque nostram foedari ne sinamus! Quod curare olim etiam Sanctissimi Papae, etsi se altioribus destinatos sentiebant, non dedignabantur. Nuper cum paruula neptis aliqua mea nomine *Clarae* baptismum perceptura esset, in historiam et indolem eius patronae, D. Clarae, inquirebam. Quae, ut tum didici, non solum paupertati studuerat, sed etiam teleuisioni. Nam cum aegrota domi decumberet, ipso uisu mentis ea, quae in Franciscorum ecclesia remota fierent, percipere poterat. Iure igitur PP Pius XII a. 1958 eam artis teleuisificae patronam elegit. Qui in oratione uenusta ac dilucida a laudibus humani ingenii et artibus nouis initium sumit:

*Clarius exsplendescit, divinae sapientiae beneficio, humanum ingenium, quod, hisce praesertim temporibus, talia peperit inventa, quae nemini non moveant admirationem. Atque Ecclesia, a progrediente civili cultu et arte technica haudquaquam aversa, novis hisce doctrinae vel cotidianae vitae subsidiis, dummodo ad bonum et honestum dirigantur, non solum fauet, sed iis etiam libenter utitur ad veritatem docendam finesque religionis propagandos. In rebus vero tam subtiliter excogitatis locum obtinet teleuisificum instrumentum, quo „efficitur, ut longinquos eventus auribus oculisque subiectos eodem puncto temporis, quo contingant, spectatores conspiciant, atque ita alliciantur, ut quasi praesentes eosdem participent“ [uerba sumpta e quadam priore encyclica].*

Quam bene dimensi sunt hi ambitus uerborum siue periodi! Nec quicquam ambigui relinquitur. Nimirum sic loquitur Papa, qui Latinam linguam ad illustrandos, non obscurandos sensus ualere didicit. Qui cum initio quasi philosophus subtiliter disseruit, sub finem adsurgit ad plenam summi sacerdotis dignitatem:

*Huic ergo arti Clara, integritatis laude praefulgens et in tantis tenebris caeleste porrigens lumen, praesit faxitque, ut perlucidi huius instrumenti ope veritas etiam et virtus clarescant, in quibus civilis ordo innitatur oportet.*

Non dedecet disertum esse, ne Papam quidem. Nam quamquam Latina lingua per se immortalis est, uerba nostra, nisi ad eloquentiam adspiramus, uix duratura sunt deaeque dignitatem minuunt. Faxit igitur quisque nostrum, ut non modo grammaticae, sed etiam quam eloquentissime dicat.